

POPVLO SALMVRIENSI

FR. Diffaldeus Medicus

S. P. D.

CONQUESTI sunt apud me sæpius vestri pharmacopœi (Cives optimi,) quod in tanto Medicamentorum, tam Simplificium quam Compositorum pelago hærentes, quæ in medicum usum parare, quæ omittere debeant, ignorent. Unde fit, ut Officinis, copia alioquin Remediorum laborantibus, ea sæpe desint quæ ad morborum curationem sint necessaria. Hinc quanta agris perniciës oriatur, Cuius rei gratia in vobis non difficile dictu est; non parvo etiam ipsorum Pharmacopœorum damno, qui necessarii dum sæpe carent, multa inutilia sibi sibi corrumpi experiuntur. Ego itaque ex longo usu, multumque trita, quam vestri habeo, experientia, agrorum bono publico hæc exaravi, ut in posterum nec medicis desit quod præscribant, nec pharmacopœis, quo medicorum præscripta exsequantur: & venia locus non sit, si eorum Officina aut necessariis carent, aut pravè sciant. Volo præterea, ut hoc perpetuo meminerint Pharmacopœi, hæc sibi Pharmaca tantum esse, hoc est, si ex suo arbitrio abutantur, venena præsentissima; sin ex arte ac methodo à peritis medicis in usum traducantur, remedia efficacissima: atque ut pie simul ac eleganter

D d 4

ab

ab Herophilo olim dictum, ad restituendam san-
 tatem $\chi\epsilon\iota\gamma\alpha\varsigma$ $\text{H}\alpha\iota\omega$. Ne ergo eorum usum sibi per-
 mittant temerarii; aut, si permiserint, severe in
 eos à iudicibus, quibus publica salutis cura tradita
 est, animadvertatur. Servari autem in his scri-
 bendis eam temperiem, ut ex simplicibus ea tan-
 tum enumerarem, qua in Officinis asservari so-
 lent, iis qua ex tempore colligi possunt omissis, &
 iis etiam qua ad illustrium tantum & magni no-
 minis Compositionum dispensationem comparan-
 da veniunt; quod ea satius sit recentia habere,
 quam carie exesa & vetustate exsolata, ex Offi-
 cinis in usum producere. Ex Compositis autem,
 ea etiam sola in unoquoque genere recensui, qua
 & selectiora sunt, & usu frequentiora, & magis
 ad salutem egrorum comparandam necessaria; iis
 qua in vulgatis Dispensatoriis descripta haben-
 tur, solo digito, ut aiunt, indicatis: iis autem qua
 vulgo non extant, integris adscriptis. Sic factum
 spero, ut hic Medicamentarius libellus, & mole
 minor multo, & suis tamen numeris omnibus or-
 natiore ac cumulatior prodeat. Notas etiam huc
 illuc adpersi, lectoris, nisi me animus fallit, non
 inutiles futuras. Hac si publice profuerit, satis su-
 perque mihi est; qui in hoc mustaceo laureolam
 non quaero. Vivite, ac valete.